

de castrono sol. 7. jan. Item de capra, seu irco sol. 1. jan. Item de pecude, seu ariete sol. 1. jan. Item de agno den. IV. jan. Item de capreto den. IV. jan., & hoc sub pena &c. sol. X. Asten. Quorum bannorum Potestas civitatis Aquis &c. habeat tertiam partem, accusator aliam tertiam, & dicti emtores aliam tertiam; & quod &c. Potestas &c. possit inquirere ex officio suo, & habeat de his, que inveniet &c. medietatem, & dicti emtores aliam medietatem &c. Quod quidem pretium Potestas, Consiliiarii &c. confessi fuerunt sese recepisse &c., & in dictam causam tam grandem, & necessariam solemniter, & integraliter fuisse conversum &c. Quorum Consiliiariorum nomina sunt hec: Mattheus Bellexius, Ottonus de Porta, Paganinus Bellexius, Franciscus Saladonus, Fridericus de Porta, Mussus Cutis, Petrus Ainerdus, Gulielmus Ainerdus, Gulielmus Burianus, Nicolettus Boni, Johannis Antonius Bessurius, Marchio Calderarius, Petrus Acetus, Antonius Aragoni, Henricus Boccacius, Perronus Bordella, Bonenus Gelinus, Jacobus Turius, Johannes Anger, Rufinus de Bono, & Guietus Lupus.

Ego Antonius de Porta de Aquis P. I. A. N., & Officialis Communis Civitatis Aquis &c.

Conventiones inter Civitatem Aquensem, & Commune Alicis. Ex Tabul. Civitatis.

79

MCCCLXXXIII.

Anno MCCCLXXXIII., indictione III., die V. marcii. In Aquis in domo Domini Antonii Marenci presentibus Antonio Besurio, Nicolino Christiano ambobus de Aquis, & Nicolino Barberio de Tridino testibus &c. Gaspardus de Rusineta Syndicus Communis Aquis parte una, & Bartholomeus de Cavatore Syndicus Communis Alicis parte altera de questione vertente inter dictas universitates &c. se compromiserunt in Dominum Franciscum Bellexium, Philippum Talicis, & Dominum Antonium Marencium de Tercio promittentes attendere &c. sub poena florenor. CC. auri &c.

Nos Antonius Marencus, Franciscus Bellexius, & Philippus Talicis Arbitri assumpti, & electi a Commune &c. super questionibus inter dictas universitates vertentibus ratione confinium, & fodrorum, ac aliarum impositionum, ad quas dicta universitas Aquensis certas personas de Alice volebat obligare ad solvendum taleas, & collectas, & ad supportandum alia gravamina in civitate Aquis pro terris, & possessionibus quibusdam, quas certae de Alice tenent, & possident in territorio dicti loci Alicis per atterminatores assignato, de quo universitas Alicis, ac dicte persone reputantes se per injuriam aggravatos asseriebant se ad predicta non teneri, maxime quia eis durum videbatur, quod districtuales Alicis pro terris, & possessionibus, quas in territorio Alicis possidebant, fodra, & alia gravamina deberent solvere. Aquis Pro parte vero universitatis Aquensis dicebatur infra scriptos de Alice teneri ad solvendum in Aquis pro summa re-

gistri civitatis Aquis, in quo illi de Alice sunt registrati in registro de Aquis, & hoc propter longam, & longissimam consuetudinem, ac vigore sententie late per D. D. Balduinum de Roccheta, & Johannem de Chisembertis tamquam arbitros a dictis ambabus partibus electos, de qua sententia constat publico instrumento per Johannem de Monteferrato Notarium &c. Pro parte vero hominum universitatis Alicis contrarium dicebatur videlicet, quod predicti de Alice ad solvendum muneris in Aquis minime tenebantur non obstantibus propositionibus allegatis pro parte illorum de Aquis, & potissime vigore cujusdam definitive sententie late inter dictas universitates per D. D. Baudinum de Roccheta, & Bastianum de Montejoca de Papia Commissarios ad predicta deputatos, cui sententie allegabant illi de Alice standum esse, per quam dicebant esse derogatum illi sententie late per predictos D. D. Baudinum, & Johannem, de qua sententia constat ex tenore publici instrumenti coram nobis per ipsas universitates producti scripti manu Roglerii de Carassis de Papia Notarii publici. Visis itaque dictis ambabus sententiis &c., auditis quoque &c., lectis &c., examinatis &c., etiam &c. gressus quoque nostros ad territoria suprascripta, & ad designationem dictorum territoriorum dirigentibus &c. Christi, ac Virginis ejus Matris nominibus invocatis &c. in palacio Communis Civitatis Aquis &c. in his scriptis unanimes & concordas &c. in primis pronunciamus & per omnia approbamus terminos designatos, & appositos per sententiam arbitramentalem lectam per D. D. Baudinum de Roccheta, & Joannem de Chisembertis pro perennibus, ac veris terminis, & regionibus designantibus, & dividendis posse, & territorium civitatis Aquis a posse, & territorio loci Alicis, ita quod quidquid territorii est a dictis terminis versus civitatem Aquis sit, & esse debeat perpetuo territorium, & jurisdictio dicte Civitatis adeo, quod universitas Alicis in territorio Aquis non possit jus aliquod pretendere se habere, & quidquid a terminis versus Alicem est territorii, illud territorium sit posse, & jurisdictio loci Alicis, adeo quod Universitas Aquis non possit de cetero jus aliquod pretendere se habere ultra dictos terminos in posse, & jurisdictione, & territorio loci Alicis. Nam per hanc nostram sententiam dictis ambabus partibus, sive universitatibus, ne una aliam molestat, aut perturbationem inferat in predictis territoriis adjudicatis ut supra, perpetuum silentium imponimus: item pronunciamus &c. Quod homines, & persone de Alice in sententia lata per Dominos Baudinum, & Johannem, que persone vigore dicte sententie reperiuntur astrictae ad solvendum fodra, & collectas in Aquis pro rebus, & possessionibus positis super posse Alicis, ut in dicta sententia fit mentio, que persone sunt iste scilicet Georgius de Pernis, Morandus de Pernis, & Albertus, & Henricus de Pernis, Niger de Pernis, Franciscus Ferrarius nepos suus, Johannes Ferrarius, Ucellus de Pernis heredes Antonii Cumerdi de cetero, & in perpetuum